Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

memoria. Disponamus igitur omnem themistii diuisionem. et post hanc subiciatur tulliana partitio. ut ea que dicenda sunt apertius oculis subiecta clarescant;

QUIBUS ita descriptis. nunc quemadmodum M. tullii diuisio themistii partitioni conueniat explicem. Cum igitur locum quem cicero dixit a toto. a substantia themistius esse proposuit. Utraque enim in diffinitione consistit siue illa substantialis sit: siue descriptio. Sed a partium uero enumeratione locus ex ciceronis topicis positus: idem est qui themistii diuisione inter medios a diuisione est nominatur. Quotiens enim aliquid esse uel non esse monstrare contendimus: si fidem a partium enumeratione capiamus. id ex diuisione necessario faciendum est. Diuisio uero aut formarum procedit. aut partium quemadmodum locus quoque qui ex diuisione a themistio inter medios collocatus est: a cicerone in generis tractatione ponatur. Ait enim tullius cum de genere loqueretur. hoc modo. Commode etiam tractatur. hec argumentatio que ex genere sumitur. cum ex toto partes persequare hoc modo. Si dolus malus est cum aliud agitur et aliud simulatur. enumerare licet quibus id modis fiat. deinde in eorum aliquem id quod arguas dolo malo factum includere.